Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26146
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Iudas equus erat, sed donec ascensorem habuit dominum de
equitatu salutis fuit cum ceteris, Et enim apostolus missus
egrotis salutem et sanitatem languentibus praestitit,
sed ubi se zabulo substrauit. post buccellam enim in
troiuit in eum satanas. ascensor ipsius effectus est
satanas. et illius habenis ductus aduersus dominum et
saluatorem nostrum coepit equitare. Omnes ergo
qui persecuntur sanctos equi sunt hinnientes. sed habent
ascensores quibus aguntur angelos malos. et ideo
ferociunt. Si ergo uideris aliquando persecutorem
tuum nimium seuientem, scito quia ab ascensore suo
demone pungetur. et ideo seuus ideo truculentus est.
Dominus ergo equum et ascensorem proiecit in mare et factus
est mihi in salutem, hic deus meus et honorificabo eum,
deus patris mei et exaltabo eum, Hic ergo et deus meus et
patris mei; Pater noster qui nos fecit et genuit
christus est, Et ipse dicit, uado ad patrem meum et
patrem uestrum deum meum et deum uestrum; si ergo agnoscam
quod deus meus sit deus. glorificabo eum. si uero et iam
istud agnoscam quomodo patris mei christi sit deus.
exaltabo eum, altior namque intellectus est.
quomodo christus unicus dei constringetur et minuatur
ueritatem, Dominum suum dicit quem nectunt patrem
uocat; Dominus conterens bella dominus nomen est illi; nolo